

nempe glorificatio. Ea consideratur juxta duplicem ejus terminum, A quo, & ad quem.

11 Terminus A quo etiam est duplex: Remotus & propinquus. Remotus rursum duplex est: 1. electorum beatus & salutaris ex hac vitâ transitus in cœlestem patriam. 2. status corundem intermedius.

12 Salutaris hominis ex hac vita transitus est mors. Tametsi enim mors à diabolo per peccatum est introducta: mors Christi tamen est consolatio presentissima contra mortē; quia per mortem Christi, mors quæ in omnes homines pervasit, victa est & exinanita, omnibusq; sanctis in salutarem ex hac vita & ærumno diversorio in cœlestem & æternam patriam transitum conversa. Hic tamen fructus mortis Christi impios nihil attinet; sed iis mors prima tyrannus, carnifex & infelix transitus ex

a Apoc. 20. hac vita ad mortem secundam manet *a.*
N. 24.

13 Status hominis intermedius vel corporis est, vel animæ. Corporis est, quo corpus ab anima per mortem separatum, in terra usq; ad gloriosum Christi adventum quiescit, & uti pulvis est, ita in pulverem revertitur.

14 Proinde mortui nostri honorifice, non pomposè terræ madandi, & religiosè, non